

V.
239.
8

BT 1101
V4
V3



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

NOVUM TESTAMENTUM

PARS I.

QUATUOR EVANGELIA

Non sciunt illi nulla intelligentia praediti, quod unicuique evangelistae curae fuit, ut consone loqueretur, quae ab aliis fuerunt dicta. Imo ut ab aliis relicta, sic revelaret. Non enim erat ipsorum voluntas, sed ex Spiritu sancto doctrina ac consequentia.

S. EPIPH., l. 2, cont. haereses, haer. 51.

SECTIO I.

PRAENOTIONES DE IV. IESU CHRISTI EVANGELIIS

Explicari satis non potest, quanto furore ac impietate increduli nostrae aetatis (quamvis inter christianos nati et educati) in sancta Iesu Christi evangelia et evangelistas debacchentur. Execranda illorum scripta cl. Nonnotte (1) succincte enumerat, addens sequentia verba, quae ex gallico idiomate in latinum translata, ita habent: « In his (incredulorum) operibus abominanda leguntur, quae non nisi orcus inspirare potuit. Persona Iesu Christi divini legislatoris ibi magis vilipenditur, quam abiectissimus quisque de faece plebis homuncio. Praecepta sanctitatis omni reverentia dignissima despiciantur habentur. Primi christianae religionis praecones, tanquam nullius rationis homines ad omne evagationum genus proiecti depinguntur. Sanctissima mysteria

non risu solum, sed impiissimis a deo cachinnis excipiuntur: quidquid mendaciorum fraudumque potest excogitari, id omne in illis lucubrationibus ab incredulis congeritur, ut absurdissimam evangelii historiam, et nonnisi ignorantiae imprudentiaeve partum esse, confingant: et quod labem aetati nostrae non mediocrem inurit, libri eiusmodi flammis dignissimi nimiam et lectorum et patronorum multitudinem hodie reppererunt. » Hucusque laudatus auctor. Quare ut confutandis incredulorum contra Christum, et sancta quatuor evangelia blasphemis planiorem viam sternam, iuvat quasdam de iisdem evangelii praenotiones praemittere, per eruditas aliquot quaestiones biblicas distincte dilucidandas.

I. QUAERES I. *Quid EVANGELIUM secundum etymologiam suam significet: et quid secundum rem consi-*

(1) In suo Diction. philos. de la religion. art. Ev. gél.

VEITH, *Norum Test.*

1
007873

deratum, sit? R. VOX EVANGELIUM ex etymo graeco ab εὐ et ἀγγέλιος laetum faustumque nuncium significat: EVANGELIUM vero secundum rem consideratum, est historia quatuor sacris scriptoribus seu evangelistis divinitus inspirata de vita, miraculis et salutari doctrina Iesu Christi: ac proin est annuntiatio depulsionis summi mali, et adeptionis summi boni sive aeternae felicitatis. Et haec quidem per summum mediatorem Christum Deum et hominem effecta est; per summum item reconciliandi modum, quo nullus maior ab intelligentia creata excogitari potest. Unde evangelium iure optimo laetum faustumque nuntium appellatur. Quae enim laetior mundo annuntiatio obtingere poterat, quam tam stupendi beneficii? de quo angelus (1) ad pastores loquens ait: *Nolite timere: ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator qui est Christus Dominus in civitate David.*

SCHOLIUM. S. Marcus evangelium suum orditur his verbis: *Initium evangelii Iesu Christi, filii Dei.* Unde et usus in ecclesia obtinuit, ut evangelia non tam presse dicerentur ab auctoribus, e. g. *Evangelium s. Matthaei, s. Marci* etc., sed pro more graecorum, et notione praepositionis *secundum* communius nominarentur *Evangelium secundum Matthaeum, secundum Marcum* etc., q. d. Evangelium Iesu Christi secundum descriptionem s. *Matthaei, Marci* etc.

2. QUÆRES II. *An sancta quatuor evangelia iis auctoribus (nempe Matthaeo, Marco, Lucae, et Ioanni) tribui debeant, quibus vulgo tribuuntur, seu quorum nominibus sunt in-*

(1) Luc. c. 2, v. 10.

(2) Ita *Julianus* ait apud s. *Cyrrillum*, l. 10 in principio.

scripta? Item an iam inde a primis Ecclesiae temporibus apud christianos eadem evangelia divinam auctoritatem habuerint? R. Affirmative quoad utrumque membrum. Certe id infensissimorum inimicorum christianae religionis quoad utramque partem manifesta confessione constat; atque ideo testimonio eorundem, quod etiam deistis, aliisque incredulis nostrae aetatis suspectum esse non potest, ad probandam nostram assertionem primo loco utimur. Nam *Julianus* apostata nomina quatuor evangelistarum clare exprimit, dicens (2): *Iesum quippe illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Ioannes. . . primum id prodere ausus est.* Similiter *Celsus*, licet non minori, quam *Julianus*, in religionem christianam odio flagraret, nunquam in dubium revocare ausus est, num *Matthaeus, Marcus, Lucas*, atque *Ioannes* essent auctores quatuor evangeliorum; et apud christianos sui temporis uti opera divinitus inspirata haberentur; quemadmodum libros *Origenis* contra *Celsum*, et praecipue librum secundum legendi aperte constabit. Hinc vero est, quod apologistae christianae religionis, cum contra ethnicos disputarent, testimonia evangeliorum et iis tribuerint, quorum nomine circumferuntur, et uti divina saepe laudant, neque tamen ethnicos iisdem exprobrasse legimus, ipsos in ea re decipi; hoc est, et evangelia iis tribui non debere, quibus adscribebantur, aut uti divinitus inspirata a christianis non admitti (3).

De hoc utroque ex apostolicorum quoque virorum verbis constat, id est, eorum, qui apostolis coevi, aut

(3) Id patet ex eorum apologistarum operibus, quae a patribus Manuinis edita, atque in unum volumen collecta sunt.

apostolorum temporibus proximi vivebant. Nam s. *Clemens* (1) testimonia evangelistarum uti Dei verbum laudavit, idemque fecit etiam s. *Polycarpus* (2) ac s. *Ignatius M.* (3), et *Papias* (4). Nam testimonia evangelistarum uti divina saepe laudant, iisque tribuunt, quorum nomine circumferuntur.

Quae autem apostolicorum, eadem et ceterorum ecclesiae patrum sententia fuit, nonnullos, tantum inter eos antiquiores commemorabimus. Sic s. *Irenaeus* (5) inquit: *Matthaeus in hebraeis ipsorum lingua Scripturam edidit evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro annunciata erant, praescripta nobis tradidit. Postea et Ioannes discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans.* Neque dubium est, quin s. *Irenaeus* etiam evangelium s. *Lucae* admiserit. Nam in eodem l. 3. adversus haereses cap. 11, ubi ex instituto ostendit, quod neque plura, neque pauciora, quam quatuor sint authentica Iesu Christi evangelia, inter haec etiam evangelium s. *Lucae* ponit, dicens: *Id vero (evangelium), quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est, Zachariam sacerdote sacrificante Deo inchoavit. . . Matthaeus vero eam quae est secundum hominem generationem eius enarrat, LIBER, dicens, GENERATIONIS IESU CHRISTI FILII DAVID, FILII ABRAHAM. Et i-*

(1) In sua 1 ep. ad Corinthios, n. 15, 27, 47, 49, 56, et in fragmento 2 ep., n. 2, 5, 4, 5, 6, 8 et 9.

(2) In sua epistola ad Philippenses.

(3) In suis septem genuinis epistolis.

(4) Apud *Eusebium* Hist. ecclesiast. l. 5, c. 59.

terum: CHRISTI AUTEM GENERATIO SIC ERAT etc. Porro *Irenaeo* addo *Tertullianum* (6), qui *Marcionem* evangelio *Lucae* tantum adhaerentem ita refellit: « Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangelis, quae proinde per illas, et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus. Nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent; capit magistrorum videri, quae discipuli promulgarint », hoc est (ut *Iacob. Pamelius* in adnotat. ad hunc locum observat): « Possunt magistrorum videri ea, quae discipuli promulgarint. » Sive iuxta *Tertullianum* potest *Paulo* adscribi evangelium, quod *Lucas* eius in praedicatione comes promulgavit. Praeterea *Origenes* (7) quatuor praedicta evangelia ad sua usque tempora, ex apostolica traditione, pervenisse affirmat: « Sicut ex traditione, inquit, accepi de quatuor evangelis, quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur: primum scilicet evangelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem publicano, postea vero apostolo Iesu Christi. . . Secundum fuisse accepimus evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras retulit. . . Tertium evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur in gratiam gentilium scriptum. Postremum vero evangelium Ioannis. » Alibi (8) vero idem *Origenes* ita habet: *Et ut sciatis non solum quatuor evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus haec quae habemus, electa sunt, et tradita ecclesiis, ex ipso prooemio Lucae* (cap.

(5) L. 5 adversus Haeres. c. 1, n. 1.

(6) L. 4 adversus Marcionem, c. 5.

(7) Apud *Eusebium*, Hist. eccles. l. 6, c. 25.

(8) Homilia 1 in *Lucam*.

I, v. 1). *cognoscamus*. QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT ORDINARE NARRATIONEM: hoc, quod ait: CONATI SUNT, latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus s. ad scribenda evangelia prosilierunt. Matthaeus quippe et Marcus, et Ioannes, et Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu s. pleni scripserunt evangelia... Quatuor tantum (nempe modo dictorum evangelistarum) evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini, et Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata. Non solus autem Origenes ad traditionem appellavit, ut demonstraret, quatuor tantum esse divina evangelia, et quidem scripta ab iis, quorum nominibus inscripta sunt; sed etiam ex eodem traditionis argumento s. Augustinus (1) Faustum manichaeum s. Matthaei evangelium reiicientem urgebat. « Cum coepo Matthaei evangelium recitare... continuo dices, illam narrationem non esse Matthaei, quam Matthaei esse dicit universa ecclesia ab apostolicis sedibus usque ad praesentes episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquum forte librum esse Manichaei, ubi Iesus negatur esse natus ex Virgine. Sicut ergo ego credo, librum illum esse Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeus vivebat in carne, per discipulos eius certa successione praepositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus et perductus est; sic et istum librum credite esse Matthaei, cum ex illo tempore, quo Matthaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, ecclesia certa con-

(1) Similia s. Doctor habet l. 52 contra Faustum, c. 21, et l. 55, c. 6.

(2) De consensu Evangelistarum, l. 1, n. 2.

(3) Vide praeter alios cl. Thomam A-

nexionis successione usque ad tempora ista perduxit. » Quod autem s. Augustinus de Matthaei evangelio affirmabat, idem quoque et de aliis tribus evangelii Marci, Lucae, atque Ioannis affirmari potest. Isti igitur quatuor evangelistae, ait idem s. doctor (2), universo terrarum orbe notissimi, et ob hoc fortasse quatuor; quoniam quatuor sunt partes orbis terrarum, per cuius universitatem Christi ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declarantur, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primus Matthaeus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Ioannes.

Ex hisce vero omnibus, quae hucusque dicta sunt, satis manifestum est, quatuor evangelia iis tribui debere, quorum nomine circumferuntur, et habuisse apud christianos divinam auctoritatem iam inde a primis ecclesiae temporibus.

3. QUÆRES III. Num sancta quatuor evangelia corrupta, aut interpolata ad nos pervenerint? R. Negative. Nam nemini unquam vel apparenter probabile videri potest, Deum permisisse, ut falso fictoque fundamento niteretur christiana religio, quam tum propter doctrinae sanctitatem, tum propter excellentiam finis, tum propter ea, quae ad promulgationem eius consequuta fuere, tum etiam propter plurima, atque praeclarissima miracula, et multiplices, supernaturalesque praedictiones, quibus confirmata fuit, omnino divinam esse dubitari non potest, sicuti theologi in tractatu de fide et religione (3) invictis argumentis ostendunt; atqui christiana

quin. Mayer in prodomo theol. dogmat.-schol. tractatu praevio de religione. q. 2, art. 2, n. 559-591. Consule etiam hanc in rem partem 4 Scripturae sacrae contra incredulos propugn. sect. 1, q. 1, n. 4.

religio falso, confictoque fundamento inniteretur, si Deus permisisset ut perirent, vel ad nos corrupta aut interpolata transmitterentur, quae tum evangelistae, tum alii scriptores divinitus inspirati scripserunt: ergo. PROB. MIN. Fides christianorum non soli traditioni modo innititur, sed etiam iis libris, quos uti divinitus inspiratos, sicuti revera sunt, suscipiunt et venerantur: ergo si ii libri, quos ut divinos modo habemus et veneramur, interpolati atque conficti essent, Deus permisisset, ut christiana religio, de cuius divinitate nullo modo dubitari potest, falso confictoque fundamento inniteretur: ergo cum id divinae sapientiae et providentiae maxime contrarium sit, nemo vel levissime suspicari potest, Deum permisisse ut perirent, vel ad nos interpolata transmitterentur, quae tum evangelistae, tum alii scriptores hagiographi seu divinitus inspirati scripserunt.

4. Equidem hoc solum argumentum sapienti ac cordato viro sufficere deberet: sed quia deistae praefracte negant, evangelia (1) incorrupta ad nos usque pervenisse; ideo hanc nostram assertionem pluribus argumentis stabilendam, et ab adversariorum obiectionibus vindicandam censemus.

Igitur contra deistas aliosque incredulos ulterius sic argumentamur:

(1) Sicut de evangeliiis, ita etiam de aliis libris tam veteris, quam novi Testamenti deistae dicunt, eos esse interpolatos, atque corruptos ita, ut sacrae litterae, quas modo habemus, non solum non sint eadem cum iis quae initio fuerunt, sed neque cum iisdem comparari possint. Verum contrarium solide ac erudite praeter alios ostendit cl. Thomas Maria Carboni ex celeberr. ordine PP. Praedicatorum in insigni suo opere de Theologia revelata, ed. Romanae, an. 1768, et sacras quidem veteris Testamenti litteras integras, atque incorruptas ad nos usque pervenisse l. 2,

Si s. evangelia per aliquem interpolata, aut depravata essent, tunc vel ethnicorum, vel iudaeorum, vel christianorum opera id contigisset; sed neque ethnici, neque iudaei neque christiani hoc fecerunt; ergo s. evangelia sine ulla mutatione aut interpolatione ad nos pervenerunt, quia nemo fuit, qui eos interpolaret, aut loco illorum falsa evangelia substitueret. PROB. MAIOR prop. Nam sancta quatuor evangelia, quae modo habemus, nihil mutationis aliquando subiisse, semper omnes pro certo habuerunt, atque totius ecclesiae quaquaversum diffusae consensione constat, in qua non solum omni tempore fuere multi, qui sanctitate, sed etiam plures, qui doctrinae singularitate supra ceteros eminent. Quapropter, cum adversarii tantorum virorum semper continuatam auctoritatem contra se habeant, istud superest, ne omnino irrationabiliter agere videantur, ut saltem aliquibus coniecturis indicent, qui evangelia interpolaverunt aut corruerunt. Hoc autem adversarii nunquam praestiterunt, nec aliquando praestare poterunt; ut EX PROBATIONE MINORIS PROPOSITIONIS quoad singula membra explicandae luculenter patebit.

Nam I. nulla alia profecto de causa sacra evangelia ETHNICI depravassent, nisi ut christiana fides amplius non propagaretur, atque sensim in contemptum omnium deve-

q. 2, art. 2 contra Deistas evincit; idem quoque praestat quoad novi Testamenti litteras l. 3, q. 3, a. 4 et seq.

Ceterum argumenta, quae nos ex eodem cl. auctore ad defendendam s. quatuor Evangeliorum, prout hodie extant, auctoritatem hic afferemus, applicari possunt ad ostendendum contra Deistas aliosque incredulos, quod etiam alii libri canonici tam veteris quam novi Testamenti ad nos pervenerint non interpolati, sed incorrupti; prout sapiens ac eruditus lector facile perspiciet.

niret: ergo ea delere debuissent, quae ad doctrinae sanctitatem pertinent, et interpolare, quae divinitatem Christi, eiusque divinam virtutem et sapientiam aperte manifestant: sed nihil horum fecerunt, cum in sacris evangeliiis, quae modo habemus, simul cum doctrinae sanctitate Christi divina virtus expressa sit, ut legenti hos sacros codices partim per se patet, partim a cl. *Thoma Cerboni* (1) aliisque theologis solide ostenditur: ergo ethnici neque depravarunt, neque interpolaverunt sacra evangelia.

Et profecto, quamvis ethnici hoc tentare voluissent, tamen quod volebant, nullo modo eis succedere poterat. Cum enim pro illa fide quae in sacris quatuor evangeliiis expressa continetur, plurima christiani omni tempore pertulerint, nullatenus verisimile est, quod iidem s. evangelia aliosque sacros libros, in quibus depositum fidei continetur, ab ethnicis interpolari aut depravari passi sint. Deinde quomodo possibile fuisset, ut quotquot sacrorum codicum exemplaria existebant, ethnici in suam potestatem redigerent, ea depravarent et corrumpere? Profecto ab initio ecclesiae sacros codices, et praesertim sancta quatuor evangelia multiplicata fuisse, atque illata in omnia loca, in quibus religio christiana colebatur, dubitari non potest.

II. Sicuti autem per ethnicos sacra evangelia corrupta, aut interpolata non fuerunt, ita neque etiam per IUDAEOS. Nam evangelia (idem est etiam de aliis libris novi Testamenti) corrumpere, atque depravare

(1) In *Theologiae revelatae*, l. 5, q. 3. art. 1, et seq.

(2) Vide *Matth.* cap. 1, v. 18-24, c. 2, 1, 9, c. 3, v. 16 et 17, c. 4, v. 11, c. 17, v. 1-9, c. 27, v. 45, 51, 52 et 53, c. 28, v. 2-8. Taceo alia.

nulla alia de causa iudaei in animum inducere sibi poterant, nisi ut christianam religionem deprimerent, iudaicam vero commendarent, atque supra omnes alias extollerent: ergo id omne ex quatuor evangeliiis tollere debuissent, per quod christiana religio extolli, iudaica vero deprimi poterat: sed hoc non fecerunt, cum in sacris his codicibus et ea habemus, per quae commendatur divinitas christianae religionis, et ea quoque occurrant, quibus iudaica perfidia convincitur: ergo. PROB. MIN. Prodigiosa sunt, quae Christi ortum praecessisse vel comitata, atque subsequuta fuisse in evangelio (2) legimus: ex eo quoque comperitur, plura atque insignia miracula (3) Christum fecisse, quibus suam divinitatem, divinamque missionem apertissime confirmavit: ea ergo in evangelio superesse, quibus christiana religio mirifice commendatur, nullus dubitandi locus reliquus est.

Quamvis autem hisce omnibus, quae modo diximus, etiam perfidia atque obstinatio iudaeorum simul perspecta fiat; tamen alia quoque multa legimus in evangelio, quae rem eandem demonstrant. Quid nonne in evangelio pharisaeorum hypocrisis et superbia (4) proditur, iudaeorum vanae traditiones (5) deteguntur, ineptae illorum superstitiones (6) palam fiunt?

Adde, quod eandem, quam ethnici, quemadmodum iam supra observavimus, in depravandis atque corrumpendis sacrorum evangeliorum exemplaribus, si id tentare ausi essent, etiam iudaei insuperabilem difficultatem experti fuissent.

(3) De miraculis Christi ex instituto infra agemus, sect. 3, cap. 2 et 5, n. 51-157.

(4) Vide *Matth.* c. 23, v. 5-8.

(5) *Matth.* cap. 15, v. 5-10.

(6) *Matth.* cap. 15, v. 2.

III. Reliquum ergo est, ut si aliquam evangelia corruptionem passa sint, per *christianos* passa fuerint. Verum nihil minus contingere potuit, quam ut per christianos illa corrumpentur. Nam vel communi malitia omnium, vel aliquorum tantum christianorum corrupta fuissent evangelia; sed neutrum factum fuit: ergo. *Non prius*: quia non est verisimile, quod gentes inter se longe dissitae, et dispersae ubique terrarum, genio differentes atque moribus, ad eos libros corrumpendos conspiraverint, quos uti sanctos et divinos venerabantur, quique suae fidei, doctrinae, legis atque religionis fundamentum erant: Profecto in huiusmodi re omnes homines inter se consentientes nemo unquam vidit, aut aliquando videbit. Nam cum hominum ea conditio sit, ut vel in rebus levissimis momenti invicem sibi contradicant, praecipue si sub coelo diverso nati, diverso genio et moribus fuerint, potiori iure nullo modo verisimile est, quod in depravatione illorum librorum, quos uti sacros atque divinos a suis maioribus cum summa veneratione receperant, unanimiter consenserint.

Neque etiam alterum: nemo enim tam insanus esse poterat, quin suam fraudem statim detegendam esse videret, cum de iis libris ageretur, qui in omnium manibus versabantur, quique in coetibus christianorum publice legi consueverant. Quamvis enim rudis populus fortasse tacuisset, anne etiam sancti ecclesiae praesules, qui gregi sibi commisso tanta cura invigilabant, id impune tulissent, et non potius aperta fronte restitissent? Profecto ut

(1) *Sozomenus* Hist. eccles. l. 1, c. 11.

(2) L. 1 contra *Haereses*. c. 51, n. 1. Usus autem sum editione operum *s. Irenaei* studio et labore PP. Maurinianor. Venerabilis an. 1754. Notandum enim, quod

non solum quoad substantiam, sed etiam quoad dicendi modum in sacris literis aliquid non immutaretur, sancti ecclesiae praesules semper solliciti fuere. Hinc cum quidam *Triphyllus* coram multis episcopis verba faciens pro vulgari voce, quae in evangelio erat, alteram, quae elegantior esse videbatur, substituisset, *Spiridion* rei novitatem ferre non potuit, sed, quamvis immutatio levis momenti videretur, eum tamen publice a se redarguendum esse censuit (1).

Praeterea notum est ac pervulgatum, iudaeos aequae ac ethnicos primis ecclesiae temporibus nihil eorum omisisse, per quae, si non christiana religio deleri, saltem splendor illius obscurari posset: sed ad hunc finem assequendum perquam idoneum fuisset, si sacros codices, quibus fides christianorum innitebatur, ac nominatim evangelia ab ipsis christianis ita corrupta atque mutata fuisse, ut non iam haberent genuina et incorrupta evangelia, ostendere potuissent. Verum nihil unquam tale vel ab ethnicis, vel a iudaeis ostendi potuit: ergo manifestum est, nullam unquam sacras literas talem mutationem, seu corruptionem passas esse.

5. At DICES I. *Caiani* quoddam evangelium *Iudae* proditori attribuerunt, ut constat ex *s. Irenaeo* (2). Ebionitae autem solum *Matthaei* evangelium admittebant, reiiciebantque apostolum *Paulum* uti apostatam legis, sicuti ex eodem *Irenaeo* (3) constat. *Valentiniani* plura habere gloriantur, quam sint ipsa evangelia, inquit idem *Irenaeus* (4),

non omnes editiones operum *s. Irenaei* in divisione capitulum invicem consentiant.

(3) *Ibidem*, c. 26, n. 2.

(4) L. 5, contra *Haereses*. c. 11, n. 9.

qui praeterea testatur (1), *Marcionem* evangelium *Lucae*, et apostoli *Pauli* epistolas mutilasse. Ex hisce vero omnibus clare patet, a primis usque ecclesiae temporibus plura in evangelii aliisque sacris literis ab aliquibus mutata fuisse, indeque etiam facile contingere potuisse, ut ad nos mutata transmitterentur.

¶. Nos non negare diversis temporibus aliquos fuisse tam impios atque audaces, ut sacris evangelii, aut aliis scriptis canonicis nonnulla addere, aut ab iisdem subtrahere non dubitaverint. Verum irritum omnino conatu tam impium facinus perpetrasse, hoc vero est, quod modo contendimus. Nam antiquis ecclesiae patribus, doctoribus, atque praesulibus eos refellere, ac eorum fraudes detegere, sicque genuina et incorrupta evangelia in ecclesia Dei conservare facile fuit, cum appellare possent, sicuti revera fecerunt, ad eas sacras literas, quas ab apostolis receperant. Hinc est, ut *s. Irenaeus* (2) valentinianos inde confutet, quia evangelium, quod ipsi confinxerant, ab evangelio apostolorum omnino differebat. *Siquidem, in tantum processerunt audaciae, uti quod ab his non olim conscriptum est, veritatis evangelium titulent, in nihilo conveniens apostolorum evangelii.* Quae vero de *Juda Iscariote Caiani* effutiebant, deque illius evangelio praedicabant, uti omnino absurda multis refellere sollicitus non est *s. Irenaeus*, sed ad confutationem eorum satis esse dicit, ut quae proponebant, in medium proferantur. « Quemadmodum, inquit (3), bestiae alicuius in sylva absconditae, et inde impetum facientis, et multos vastantis, qui segregat, et denudat sylvam,

(1) L. 1 contra *Haeres.* c. 27, n. 2.

(2) L. 3 contra *Haeres.* c. 11, n. 9.

et ad visionem adduxit feram, iam non elaboravit ad capiendum, videntes quoniam ea fera est: ipsi enim adest videre et cavere impetus eius, et iaculari undique, et vulnerare, et interficere vastatricem illam bestiam. Sic et nobis, cum in manifestum redegerimus eorum abscondita, et apud se tacita mysteria, iam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam. Adest enim et tibi, et omnibus, qui tecum sunt.... evertere nequam ipsorum doctrinas, et inconditas, et apta veritati ostendere dogmata. »

Plura vero postquam *s. Irenaeus* alio loco iam supra iterato citato (4) contra eos disseruit, qui vel plura vel pauciora, quam apostoli atque evangelistae tradiderant, evangelia recipiebant, ita recte concludit: « His igitur sic se habentibus, vani omnes, et indocti, et insuper audaces, qui.... vel plures, quam dictae sunt, vel rursus pauciores inferunt personas evangelii (*seu evangelistas*); quidam ut plus videantur, quam est veritatis, advenisse; quidam vero ut reproberent dispositiones Dei. Et enim Marcion totum reiiciens evangelium, immo vero seipsum abscondens ab evangelio, pariter gloriatur, se habere evangelium.... Hi vero, qui sunt a Valentino, iterum existentes extra omnem timorem... plura habere gloriantur, quam sint ipsa evangelia. Siquidem in tantum processerunt audaciae, ut quod ab his non olim conscriptum est, veritatis evangelium titulent, in nihilo conveniens apostolorum evangelii.... Si enim quod ab eis proferitur, veritatis est evangelium, dissimile est autem hoc illis, quae ab apostolis nobis tradita sunt; qui volunt, possunt discere, quemad-

(3) L. 1 contra *Haereses*, c. 51, n. 4.

(4) L. 3 contra *Haereses*, c. 41, n. 9.

modum ex ipsis Scripturis ostenditur, iam non esse id, quod ab apostolis traditum est, veritatis evangelium. Quoniam autem sola illa vera, et firma, et non capit neque plura, praeterquam praedicta sunt, neque pauciora esse evangelia, per tot et tanta ostendimus. » Ostendit autem fuse *s. Irenaeus* eodem cap. 11, num. 8 quatuor tantum esse evangelia, nec plura, nec pauciora, nempe *Matthaei*, *Marci*, *Lucae* et *Ioannis*, dicens: *Neque autem plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capit esse evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt etc.* (1).

Ex quibus omnibus luculenter colligitur, tantum abesse, ut evangelia aut aliae sacrae litterae in Dei ecclesia interpolatae aut mutatae sint, quia aliqui temerario ausu vel nonnullas earum reiicere, vel alias ab illis, quae communi consensione recipiebantur, intrudere conati sunt, ut potius ex hoc quoque capite constet, quae ab apostolis et evangelistis traditae fuerant, vigilantia patrum ac sacrorum praesulum incorruptas semper fuisse servatas, atque omnes ecclesias praecipuam curam habuisse, ut sine corruptione atque mutatione integrae servarentur.

6. DICES II. Teste *s. Augustino*, manichaei veris christianis saepe obiecerunt, quod apud ipsos (i. e. catholicos) corruptae sacrae litterae serventur. 2. Deinde *Celsus* apud *Origenem* (2) quosdam ex fidelibus fuisse affirmat: *Qui similes illis, quos eo impellit ebrietas, ut sibi manus inferant, primum evangelii contextum ter, quater, pluries mutant, pervertuntque, ut habeant,*

(1) Plura haec de re *s. Irenaei*, aliorumque Patrum dicta attulimus supra n. 2.

(2) Vide *Origenem* l. 2, contra *Celsum*,

quo res sibi obiectas inficientur. 3. Praeterea negari non potest, antiquitus multos fuisse, qui libros aliquos uti sacros venditarent, qui revera tales non erant: id in causa fuit, cur non solum aliqui imperiti de plebe homines, sed etiam plures ecclesiastici viri decepti fuerint, eaque uti divinitus inspirata receperint, quae postmodum partem s. Scripturae non esse declaratum fuit: ergo facile fieri potuit, ut cum evangelii aut aliis sacris libris simul permixta multa quoque huius generis ad posteros, et nos usque pervenerint.

¶. AD PRIMUM, et dico, *s. Augustinum* in refellendis manichaeis, qui sacras litteras corruptas esse effutiebant, eandem rationem adhibuisse, ac *Irenaeus*, alique patres adhibuerunt, dum ebionitas, marcionitas, ac valentinianos confutabant. Nam sicut illi ad doctrinam ecclesiarum ab apostolis traditam, atque ad ea usque tempora ubique sine ulla mutatione perseverantem recurrerunt, ita etiam *s. Augustinus*. Audiamus propria eiusdem verba: *Quisquis enim, inquit lib. 32 contra Faustum manichaeum, cap. 16, hoc primum ausus esset (hoc est, falsare sacros codices) multorum codicum vetustiorum collatione confularetur: maxime quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur.* Et in eodem libro cap. 21, manichaeos ita alloquitur: « Hic iam si quaeratis a nobis, nos unde sciamus apostolorum esse istas literas? Breviter vobis respondemus, inde nos scire, unde et vos scitis illas literas esse Manichaei (id est, Manetis auctoris manichaeorum, qui seu Manes, seu alio no-

n. 27, edit. paris. an. 1755, opera et studio d. *Caroli D larue*, presbyteri et monachi Benedictini, e congregatione *s. Mauri*.

mine Manichaeus dicitur), quas miserabiliter huic auctoritati praepontis. Si enim et hinc vobis aliquis moveat quaestionem..... dicens, libros quos profertis Manichaei, non esse Manichaei, quid facturi estis? Nonne potius eius deliramenta ridebitis, qui contra rem tanta connexionis et successionis serie confirmatam, impudentiam huius vocis emittat? Sicut ergo certum est, illos libros esse Manichaei, et omnino ridendus est, qui ex transverso veniens tanto post natus, litem vobis huius contradictionis intenderit: ita certum est, Manichaeum aut manichaeos esse ridendos aut etiam dolendos, qui tam fundatae auctoritati a temporibus apostolorum usque ad haec tempora certis successionibus custoditae atque perductae, audeant tale aliquid dicere: » scilicet eas, quas veri christiani conservant et venerantur tanquam apostolorum literas, non esse tales. Et lib. 11 contra *Faustum* cap. 2 idem s. doctor, *Faustum*, aliosque manichaeos, qui sacras literas, quibus convincebantur, corruptas esse asserebant, reprehendit his verbis: « O vocem a veritate fugacem, in amentia pertinacem! Usque adeo invicta sunt, quae adversus vos de divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud, quod dicatis, nisi eos esse falsatos..... vides (ita pergit s. doctor, *Faustum obiurgans*) in hac re quid ecclesiae catholicae (hos codices esse divinos, agnoscitis) valeat auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur. »

Hic cum clar. viro *Thoma Cerboni* (1) observandum esse cense-

(1) Loc. cit. l. 5, q. 5, art. 4, p. 515.

mus, fere nihil ab ethnicis, aut etiam ab haereticis, quod contra christianam religionem facere quovis modo videretur, olim fuisse productum, cui increduli nostri temporis non adhaeserint, et veluti novum, atque antea inauditum, nobis opposuerint. Verum suam ignorantiam manifeste inde produnt (quamvis omnium scientissimi atque a praconceptis opinionibus liberi haberi velint), cum talia omnia prorsus futilia, nulliusque momenti esse, ex iis, quae ss. patres aliique apologetae hostibus verae Christi ecclesiae pridem responderunt, ipsi quoque cognoscere potuerint.

Ad 2 ipse *Origenes* loc. cit. *Celso* obiicienti sacras literas per christianos esse corruptas, ita respondet: « Equidem non alios novi, qui evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini, fortasse et Lucani sectatores. Id vero criminis nostrae doctrinae imputandum non est: in culpa sunt, qui evangelia depravare audent. Nam quemadmodum in philosophiam male conferres, quae a sophistis, epicureis, peripatecis, aliisque falsae excogitatae sunt opiniones; sic quia nonnulli evangelia corruerunt, novasque sectas a lesu doctrina alienas induxerunt, non continuo in crimen vocari oportet verum christianismum. » Quin imo tantum abest, ut verus christianismus in crimen vocari inde possit, ut potius eius cura, diligentia atque constantia in conservandis sine mutatione aut corruptione sacris litteris magis magisque eluxerit, cum veri christiani iis, qui sacras literas mutare et corrumpere attentarunt, nunquam non aperta fronte resisterint, eorumque audaciam omnino represserint; prout ex operibus ss. patrum, ac historia ecclesiastica cruditis perspectum est.

AD TERTIUM respondemus, ecclesiasticos aliquos viros, atque doctores deceptos quidem in eo fuisse, ut tanquam divinitus inspirata ea laudaverint, quae talia non esse, ecclesiae unanimi consensione constitutum postea fuit. Verum nihil ex hoc lucrantur deistae: ut enim omittamus, ex hoc ipso inferri debere, semper ab ecclesia diligentissime cautum fuisse, ne, qui non debebant, in sacrum canonem libri reciperentur, ita ut non unius aut alterius etiam suorum doctorum fuerit contenta testimonio, sed rem ipsam diligentius expenderit; illud quoque observandum modo est, apostolicorum quidem patrum neminem, ex iis autem, qui postea in ecclesia graeca floruerunt, tantum aliquos, qui vero in latina, fere nullos velut canonica atque divinitus inspirata illa laudasse, quae talia non esse ecclesia professa fuit, et nunc quoque profitetur. Unde fieri non potuit, ut quae divina non erant, cum divinis in ecclesia vera Christi intermicerentur, atque ita simul confusa ad nos pervenirent. Nam consensio ecclesiarum ad id requirebatur, quae nullo unquam tempore in libris canonicis recipendis fuit, qui non essent. Atque profecto dubitari non potest, et ex dictis abunde constat, primos ecclesiae patres omnem in eo diligentiam adhibuisse, ut scripta genuina a falsis, atque etiam ab incertis et dubiis distinguerentur. Hinc distinctio librorum, qui *genuini, adulte-*

rini, et incerti essent, apud eos frequenter occurrit (1).

7 DICES III. In *Chronico Victoris* episcopi africani apud *Eusebium* in *Thesaurio temporum* ita legitur: *Messala* consule, iubente *Anastasio imperatore, sancta evangelia, tanquam ab idiotis evangelistis composita, reprehenduntur et emendantur*. Similia quoque sunt quae in suo *Chronico, quinta aetate seculi* habet *s. Isidorus hispalensis: Anastasius*, inquit, *acephulorum errorem vindicans, episcopos chalconensis synodi defensores exilio damnavit. Evangelia quoque tanquam ab idiotis evangelistis composita, reprehendit, atque emendat*: ergo seculo sexto sancta evangelia universaliter fuisse corrupta, negari non potest (2).

¶ De re tanti momenti (nempe de immutatione et corruptione evangeliorum iussu *Anastasio I* imperatoris facta), de qua nemo non valde sollicitus esse debebat, unus aut alter tantum mentionem fecit, aliis scriptoribus e. g. *Baronio* (3), *Natale Alexandro* (4), etc., qui vitam et gesta dicti imperatoris ex instituto recensent, de hac corruptione altum silentibus. Ego saltem post diligentem inquisitionem nihil apud modo nominatos auctores hac de re inveni. Ceterum etiamsi daremus, *Anastasium* illam evangeliorum mutationem ac corruptionem attentasse, quid inde deistae aliique increduli pro se colligere possunt? An fortasse corruptionem, quae sacris litteris

naque apostolorum alieni, nunc ad sequentium rerum narrationem prosequamur. »

(2) Hoc argumenti genere plurimum se profecisse putat auctor libri inscripti: *De la liberté de penser*.

(3) Ad annum Christi 501, et seq.

(4) Hist. eccles. saeculo v, cap. 5, art. 16, et c. 7, art. 8.

(1) Unde *Eusebius* Hist. eccles. lib. 5, cap. 51, inquit: « Expositis igitur haec tenus quaecumque ad notitiam nostram pervenerunt, tum de apostolis ipsis et de tempore obitus singulorum, tum de saceris voluminibus, quae nobis reliquerunt, ad haec de iis libris, qui in dubium quidem revocantur, in plurimis tamen Ecclesiae leguntur, postremo de illis, qui plane spurii sunt, et a recta fide doctri-

per *Anastasio* illata fuit, ubique esse propagatam, omnesque ecclesias pervasisse? Verum iam supra (1) abunde demonstravimus tale quid fieri non potuisse, obstante cura et vigilantia praesulum et doctorum catholicorum; id quod maxime locum habuit tempore *Anastasio I*, de quo episcopis catholicis constabat, quod sit haeresi eutychniana perniciose infectus, et ecclesiae persecutor. Praeterea dictam evangeliorum mutationem sub *Anastasio* per omnes ecclesias revera factam non esse, etiam inde manifeste evincitur, quia eadem semper fuit ecclesiae fides, eademque evangeliorum, aliarumque divinarum Scripturarum testimonia citata legimus in conciliis, et a sanctis patribus ante *Anastasio* imperatorem existentibus, quae in conciliis aut patribus sequentium seculorum leguntur (2). Nullam ergo per *Anastasio* imperatorem mutationem aut corruptionem in sacris evangelis aut aliis divinis Scripturis, quae universaliter propagata fuerit, inductam esse, evidentissime constat. Idipsum etiam *dom. Leland* anglicus epist. 6 demonstrat contra *Collinsium* in opere ex anglico in germanicum idioma translato, cuius titulus latine est: *D. Iohan. Lelandi*, *Recensio praecipuorum scriptorum a deistis eorum cum animadversionibus*, etc. Hannoverae 1755.

8. DICES IV. Eos libros modo non habemus, quos sacri scriptores exararunt, sed eorundem exemplaria tantum apud nos extant: haec autem integra et incorrupta non esse, pluribus argumentis probari

(1) Num. 4.

(2) Nimis longum atque operosum esset, tum patrum, tum conciliorum cuiusvis seculi, atque aetatis afferre testimonia, ut eorum facta comparatione pateat, quod modo asserimus. Quisquis eos, qui in operibus ss. patrum et conciliorum an-

potest. 1. Quia versionum est tanta multitudo, ut quatenam alteri praeferi debeat, merito dubitetur. 2. Sacrorum librorum variae et diversae lectiones in pluribus codicibus saepe occurrunt: quo fit ut semper incerti haerere debeamus quatenam vera atque genuina sit. 3. Cum a temporibus apostolorum tam longe remoti simus, quomodo post tam longam vicissitudinem temporum, post tam multiplices atque varias rerum mutationes non pariter huiusmodi libros mutatos ad nos usque pervenisse merito suspicemur? 4. Denique de integritate evangeliorum, aut aliorum sacrorum librorum cuiusnam tandem auctoritate nobis constare potest? Fortasse ecclesiae? At in ecclesiae infallibilitatem consentire non possumus, nisi de auctoritate divinorum librorum antea nobis constiterit: necessario ergo in scepticismum delabimur, ac nimis multa sunt, quae libros evangelistarum, aliorumque sacrorum scriptorum mutatos atque corruptos esse suadent (3).

9. R. AD PRIMUM, et ex *Tolando* aliisque incredulis quaero, qua de causa evangeliorum et aliorum sacrorum librorum tam multiplex versio facta fuerit? Profecto non alia, nisi quia apud omnes nationes sacri libri tanto semper in pretio fuerunt, ut in iis suam fidem divinitus traditam contineri putaverint: ergo et eosdem esse, quos sancti viri divinitus inspirati scripserunt, et summa cura ab episcopis totius orbis christiani cautum esse, ne corruptae versiones tanquam genuinae adoptarentur, inde concluditur;

nexi sunt, locupletissimos locorum s. Scripturae indices consuluerit, de veritate nostri asserti convictus erit.

(3) Haec sunt, quae *Tolandus* in suo *Nazareno*, c. 5, alique increduli opponunt.

alioquin suam fidem divinitus in iisdem traditam esse, nationes omnes non putassent: ergo tantum abest, ut propter multipliciter versionum sacros libros mutatos fuisse colligi possit, ut potius contrarium inde evincatur.

Imo nimis multae sunt utilitates, quae ex versionum varietate profluunt, et multum etiam serviunt, ut sacri libri incorrupti et genuini conserventur. « Utilissimae sunt, ait *Morinus* (1), versiones istae praesertim a catholicis viris elaboratae multis de causis, quas passim doctores explicant. Exempli causa, ut...emphasin et genium linguae, sine quorum cognitione sensus auctoris interdum obscurus est, et fere ἀνεργητος καὶ ἀδιήγητος, variarum versionum comparatione sacrae lectionis studiosus percipiat, et imbibat... Ut dissentientibus ex utraque parte variis latinorum codicibus, fons tunc velut arbor consulatur. Ut manifestus error, cui varii codices consulti non medentur, fontis auctoritate corrigatur. Ut archetypi corruptio ex tam insignis ectypi sinceritate cognoscatur, et plerumque sanetur ».

Hac eadem de re *Brianus Waltonus*, quamvis vir acatholicus (2), ita recte scripsit: « Mirus etiam versionum consensus in omnibus, quae ad fidem et salutem necessaria sunt (nam in aliis minutioribus omnis fere varietas consistit) inter omnes populos tantis terrae marisque intervallis dissitos, soloque eiusdem fidei vinculo connexos, clare testatur doctrinam horum codicum non in sapientia humana fundatam esse, sed auctoritate divina stabilitam: quorum conservatio contra satanae

eiusque satellitum furores, qui eos non tantum corrumpere, sed penitus abolere totis viribus conati sunt, aperte eorum originem divinam probant. Erroribus etiam, qui ex librorum inscitia, incuria et audacia, vel haereticorum fraude irrepere possunt, obviatur. Nam quod in una lingua forte contingere potest, in tot per orbem versionibus fieri non potest. Praeterea versionum antiquarum... collatio ad verum Scripturae sensum in dubiis et obscuris eliciendum, multum lucis afferre nemo negaverit, qui animo perpendit, verbum Dei in vero verborum sensu proprie consistere... Si enim commentaria virorum doctorum multum conferant ad Scripturae intelligentiam, quae idcirco in locis dubiis et obscuris omnes solent consulere; quanto magis conferunt versiones antiquae ubique receptae, et ab ecclesia (3) approbatae, quae non unius vel plurium privatorum hominum, sed totius ecclesiae sensum et iudicium nobis exhibent? » Hucusque *Waltonus*.

Et re quidem vera, collationem diversorum codicum et versionum ad veritatem genuinae s. Scripturae dignoscendam plurimum prodesse posse, sensit etiam s. *Augustinus* (4) dicens: « Plurimum hic quoque iuvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta, atque discussa... nam codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant, et emendatis non emendati cedant etc. » Quinam autem sacrarum litterarum codices ceteris praefereendi sint, s. doctor ibidem cap. 8 ita determinat: « In canonicis autem Scripturis ecclesiarum

vera Christi Ecclesia intelligendum esse, nempe de Romano-catholica.

(4) Lib. de Doctrina christiana, c. 14.

(1) Exercit. biblic. 1. 1, exerc. 5, c. 1, n. 8.

(2) Ad Biblia Prolegom. 5, n. 5.

(3) Sed hic notandum, id dumtaxat de